





65

5. C

COLLEGII THEOLOGICI
 IN ACADEMIA WITTEBERGENSI
 DECANUS
ABRAHAM
CALOVIVS,
 DOCTOR ET PROFESSOR
 THEOLOGUS PRIMARIUS, FACUL-
 TATIS THEOL. ET CONSISTORII ECCLE-
 SIASTICI SENIOR, ECCLESIAE WITTEBERGENSIS PA-
 STOR, ET CIRCULI ELECTORALIS SUPE-
 RINTENDENS GENERALIS,

L. S.



WITTENBERGÆ,
 Typis MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.
 ANNO MDCLXXXVI.

65

3

DEGANUS

FACULTATUS THEOLOGICAE

ABRAHAM

CALOVIVS

THEOL. D. P. PRIMARIUS

ET CONSISTO.

PASTOR

ET CIRCULI RECTORALIS SAXO-

NICI SUPERINTENDENS GE-

NERALIS

LECTORI BENEVOLO

SALUTEM!



JESU FORTUNANTE!

Renati Cartesii ad Petri Gassendi
vota non detraho laudibus, quas sum-
ma eruditio & accuratissima rerum
Philosophicarum & ceu dicunt Mathe-
maticarum scientia ipsi comparavit.
Illud enim nulli nos negare possumus,
eo usque progressum esse Virum hunc,
quo paucis pervenire datum, & doctrinas illas, quæ sin-
gula homini sufficiunt, uno quasi cōplexu tenuisse, ut non
indignos censeamus cineres, de quibus sibi gratulandum
Gallia putaverit & insigni monūento in tēplo S. Genovevæ
posito gaudium ex hoc susceptū cū posteris communican-
dū in animum induxerit; quod cum *Βίωμα* Petrus Bo-
rellus in describendo Cartesianæ vitæ curriculo non re-
censuerit, illud autem Amici & Collegæ Optimi fide ac-
ceperim, non in censuram vocatis iis, quam ultima cum-
primis merebantur, ut proponam, benivolus Lector non
iniqvo feret animo;

*Renatus des Cartes, Vir su-
pra titulos omnium Philosopho-
rum, nobilis genere, Armoricus*

A 2 gen-

pro luctu, pallium laudis, vel indumentum lætitiæ (quo diebus festis hilares utuntur) consequuntur pro stricto spiritu, (pro gemitu, & suspiriis tristium,) & vocantur (h. e. reapse sunt) *arbores justitiæ*, (veræ justitiæ feraces) *plantatio JEHOUAH ad glorificationem*, : (qui scil. antea erant arbores iniustitiæ, ad probrum nominis divini.) S. LUCAS ita reddidit ex ore Domini: *Εὐαγγελίζεσθε πτωχοῖς, ἰάσαθε τὰς συντετριμμένας τὴν καρδίαν, κηρύξαι ἀιχμαλώτους ἀφ᾽ ἑσθιν, (ad prædicandum captivis dimissionem: Addidit etiam Doctor & Evangelista optimus, ad meliorem sensus perceptionem) καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, & cæcis visus receptionem, vel recuperationem, (quod de cœcitate & visu spirituali accipiendum, per Spiritus S. illuminationem factâ, Eph. I, 17. 18.) ἀποστέλλαι θραυσμένους ἐν ἀφ᾽ ἑσθιν, ad emittendum confractos in libertatem (spiritualem scil.) κηρύξαι ἐνιαυτὸν κυρίου δεκτὸν, ad prædicandum annum Domini acceptum: hoc est, verum *Jobelaum*, de quo exclamat Apostolus, 2. Cor. VI, 2. è collatione Esa. XLIX, 8. ἰδὲ, νῦν καιρὸς εὐωχέσδεκτος: ἰδὲ, νῦν ἡμέρα σωτηρίας: *Ecce, nunc est tempus acceptum: Ecce, nunc est dies salutis.**

Unde autem acceperit hic Evangelista τὴν δύναμιν ἐρμηνευτικὴν, ad prædicandum μετὰ παρρησίας, καὶ ἐνεργείας, & ut ἐπὶ τοῖς λόγοις τῆς χάριτος, ἐκπορευομένοις ἐκ τῶ σώματος, admirarentur auditores omnes, Luc. IV. 22. utq; faterentur ipsi hostes ejusdem, Joh. VII. 46. emissi ad captivandum Jesum: ἔδεδωκε ἔπος ἐλάλησεν ἀνθρώπος, ὡς ἔπος ὁ ἀνθρώπος: Erat enim docens, ut potestatem habens, & non ut Scribæ, Matth. VII. 29. Marc. I, 22. de eo ipse testatur, *Esa. L, 4. Dominus, inquit, dedit mihi linguam eruditorum, ut sciam sustentare eum, qui lassus est, verbo: & profitetur*

Esa.

dozici XIV. virorum insignium
cultoris & remuneratoris, pro-
curante Petro Dalibert sepul-
chri pio & amico violatore pa-
triæ redditæ sunt, & in isto ur-
bis & artium culmine positæ,
ut qui vivus apud exteros fa-
mam & olim quæsierat, mortuus
apud suos cum laude quiesceret
suis & exteris in exemplum &
documentum futurus. I nunc,
Viator, & divinitatis immorta-
litasque animæ maximum &
clarum assertorem aut jam cre-
de felicem, aut precibus redde.

A 3

Ce-

barum, & Phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum.
Hi enim sunt, qui paupertatem spiritualem agnoscunt, & deplorant, atq; ideò animo afflicti sunt, & proinde esuriunt & sitiunt abundantio rem justitiam Christi Θεωσώπυ, Filii Dei, ut & satientur per fidem, & ingrediantur regnum caelorum, ac verè beati sint, v. 3. 4. 5. 6. *Pharisei autem ignorant justitiam Dei,* (Christi Θεωσώπυ, qui est Deus manifestatus in carne, 1. Tim. III. 16. *ex Patribus oriundus secundum carnem, Deus super omnia benedictus in secula, Rom. IX. 5.*) & propriam justitiam querentes erigere, justitiae Dei non subiciebantur, Rom. X. 3. (justitiae scilicet quae est ex fide, sed justitiam legis sectabantur, c. IX. 30. 31.) *Finis autem legis est Christus, ad justitiam omni credenti.* Dicit enim Scriptura: *omnis, qui credit in illum, non confundetur, omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit, Rom. X. 4. & v. 11. 12. 13. Joel. II, 26. 32. Esa. XXIX, 16. conf. Psal. CXIX, 2. Matt. XXI, 42. Act. IV, 11. Rom. IX, 33. 1. Petr. II, 5.* De qua justitia ex loco classico, qui super tabulam publicam scribendus, & explanandus erat, ut percurrat, & animadvertat, qui legerit illum: *Justus fide sua vivet, Hab. II, 4.* S. Apostolus egit Rom. I, 17. Gal. III, 11. Ebr. X, 38. quamq; prolixè ut abundantissimam justitiam deprædicavit, & asseruit S. Apostolus, Rom. III, 19. seqq. c. IV, 5. seqq. c. V. 18. 19. c. II, 3. seqq. c. X. 6. seqq. Phil. III, 9. in qua justitia A & N Scripturae, fundamentum fidei, & salutis est, per quam omnes salutem consequuti sunt, qui salvati inde à primordio Ecclesiae, secundum Decretum primi Concilii Hierosolymitani, Act. XV. 11. *Credimus, per gratiam Domini nostri Jesu Christi salvari, quemadmodum & Patres nostri.* Conf. Ebr. XII, 8. Ap. XIII, 8. c. XVII, 8. De qua Dominus ipse Esa. XLV, 17. 19. seqq. *Israel salvatus est in Domino salute aeternâ.* (conf. Hos. I, 7.)
Ego

munera fore inaccessa inferuerint, qui ista dogmatum la-
be essent imbuti. Decreta illa refert *Cyriacus Lentulus*
Professor Herbonens. in *Cartesio Triumphato* p. 6. seqq.
& *Fridericus Spanheimius* filius Professor Lugdunens. in
erudita de novissimis circa res sacras in Belgio dissidiis
epistola; extantiorum locum jam dabo p. 67.

Equidem adeo moverant stomachum piis quaque ver-
sum Theologis illi animi nova scientia, revelationis amula,
immodica illa libertas philosophandi supponendique, non
nesciis magistra experientia, quid inde sacra doctrina esset
contractura labis, quidve decessurum Scripturarum autho-
ritati ex hypothesis id genus, ut currente anno LVI. Classici
conventus & Synodus Hollandiae Australis, suffragante po-
tiori parte, obsistendum esse his principiis judicarent. Quo
factum, ut, Septembri exeunte decernerent ordines publica
lege: ne Philosophis fas esset scripturas S. secundum sua
principia interpretari; quicquid in his revelatum, tan-
quam omnium firmissimum certum & indubitatum ha-
beretur, quantumcunque humana ratio, etiam clare & distincte
percipiens, videretur aliud quid svadere; plus deferretur
soli auctoritati divinae, quam humano iudicio; adeoque
Philosophi deinceps abstinerent ab iis defendendis aut pro-
pagandis, quae Scripturae sacrae adversa essent; quin etiam,
publicae tranquillitatis ergo, mitterent propagare illa phi-
losophemata, quae ex Philosophia Cartesii hausta, nunc offen-
sionem nonnullis darent. & interpositis quibusdam: quae
ad concordiam spectarent, philosophandi libertatem denuo
ita coercent, ne peccarent Philosophi in decreta Curatorum
atque Consulum, successive condita; multo minus ne libros
aut scripta Cartesii praedicti in Recitationibus suis praelege-
re, docere, aut explicare sustinerent; expressa hoc ipso sta-
tuto poena cassationis, aut ad minimum suspensionis ab officio.
Hec

buit *Virum Nobilissimum, Amplissimum, & Consultissimum,*
DN. JOACHIMUM Rangen/*Reipubl. Patriæ Camerarium,*
Salinarumq; Dominum, nunc ἐν ἀγίαις, cujus mater erat RE-
GINA RÜHELIA, Senatoris, & Judicis Wittebergensis filia,
ex antiqua Rüheliorum & Matthæorum familia; quæ fratres
habuit CONRADUM, Præpositum & Superintendentem in
Schlieben / qui edidit *Harmoniam Lutheri & Lutherano-*
rum, contra Mauritii Neodorpii *Lutherum orthodoxum;*
item TIBURTUM, J. U. Licent. unde geminum Candidato
nomen. Matrem SOPHIAM Hensen / superstitem: Ad
annum usq; XIII. ætatis, unà cum Fratribus natu majoribus,
MARTINO, (nunc Jcto, Dicasterii Elector. Advocato, &
Reipubl. Patriæ Senatore primario) & LAURENTIO, (nunc
J. U. D. Scabinatus Elect. Direct. Dicasteriiq; ejusdem Advoca-
cato, & Statu Ducat9 Pomerania, & Principat9 Camminensis
Syndico) educatus, ac sub fidei Præceptorum, præprimis
DN. CHRISTIANI MYLII, (nunc Scholæ Belgardensis Re-
ctoris ultra 30. annos meritisimi) curâ informatus, Anno
1652. ad Gymnasium HALLENSE cum laudatis fratribus
transiit: fidelem ibi *Excellent.* DN. M. C. F. FRANCKEN-
STEINII, & *Præclariss.* DN. M. JOH. CAMMERHOFII
informationem expertus, *Magnifico* DN. D. C. CARPZO-
VIO *Cancellario,* propter ingenii felicitatem in ista ferè pu-
eritia in deliciis fuit: siquidem in *actibus solennioribus pu-*
blicis ingenium ac memoriam feliciter non rarò probarit.
Cumq; *Medicum* sibi proposuisset Studium, *Experient.* DN.
D. F. HOFFMANNI consilio usus est, in *Botanicis* ac *Anato-*
micis ab eodem informatus. Anno autem 1654. d. 4. Au-
gusti, adeoq; XV. annos natus, Academiam *Jenensem* adiit,
Rectore *Magnifico,* DN. D. RICHTERO, in matriculam re-
cept9, primùm in *Physicis* POSNERUM, in *Medicis* GVERN.
ROL-

deret, inferta scil. Candidatorum testimoniis formula, quæ alienos eos testaretur à Cartesii iis principiis, quæ scandatum nonnullis præberent. Hinc demirari satis nequeo, inter eos etiam, qui Christi nomen profitentur, extitisse quosdam, qui illis insisterent Cartesii principiis; Benedictum Spinosam hæc ambabus occupasse manibus concedo, cum ille homo Dei veri cognitione ejurata, nullum Deum cuperet nec qq. credere vellet: quod impietatis genus auctius evasit confirmatiusq; his blasphemias, ceu Scriptor Anonymus in tract. Gallico, qui talem præfert titulum: LIMPIE CONVAINCU ou DISSERTATION CONTRE SPINOSA, Dans laquelle l' on refute les fondemens de son Atheisme. L'on trouvera dans cet Ouvrage non seulement la refutation de Maximes impies de Spinosa, mais aussi celle des principales hypotheses du Cartesianisme, que l'on fait Voir etre l' origine du Spinosisme. A Amsterdam

Chez Jean Crelle, imprimeur sur le deventer-hout
marckt.

M DC LXXXV.

uberius edocuit. Ceterum illud est dolendum, ipsos Cocceji discipulos, de ipso enim adhuc ambigo & meliora spero, in eodem hære luto, nec magnæ inter suos auctoritatis viros vereri in Cartesii jurare verba, ut vitam, quam hæc adempta malint. Nomino hic Christophorum Wittichium, Franciscum Burmannum, Petrum Alingam, Ludovicum Wolzogium, Johannem de Raye, aliosque, qui tantum se consecutos gloriæ sibi persuasum habent, (ita Riderus homo Calvinianus præfat. in Tom. I. Schrift = Liecht) quod in Philosophia Cartesiani sint, quam quod in religione Christiani; Deum excitaturum, qui Cartesii causam agant; Cartesii causam suam esse &c. quorum

B

im-

WEINMANNŌ in Academia Norica, DN. JOH. HENRICO
URSINO, Superint. Ratisbonensi celeberrimo, DN. D. JOH.
ADAMO OSLANDRO, in *Tubingensi* Universitate Theolo-
go excellentissimo (cujus favori conciliatus est, cum eidem
in Collegio illustri ab *Illustribus DDNN. J.F. & J.W. WRAN-*
GELIIS Comitibus per Ephorum, cognatum suum, DN. AN-
DREAM Meyer à Meyerfeld/nec nō per Jctum Celeber-
rimum, Dn. D. WURMSERUM, innotuit) In Academia *Ar-*
gentoratensi Dn. D. JOH. SCHMIDIO, Præsidi Conventus
Ecclesiastici, Concionatori insigni, ejusq; Successori famige-
ratisimo, Dn. D. DANNHAUERO, *Amico & Fratri meo in*
Christo, dum in Ecclesia militabat, longè conjunctissimo, nunc
desideratissimo, nec non Dn. D. BALTH. SCHEIDIO, meo
quondam in Academia Regiomontana Convictori, & per
sexennium domestico charissimo, Græcarum & Ebraicarū,
aliarumq; Linguarum Orientalium Professori, de re litera-
ria præclarissimè merito, quorum studiis & conversationi
non absq; insigni fructu sedulò vacavit. SPIRÆ Nemetum
Dn. D. SCHRAGMÜLLERUS, Superintendens, & WIGAN-
DUS, primūm Jesuita, post ad fidem nostram conversus, in-
notuit. Dehinc Wormatiam invisit: Academiasque HEL-
DELBERGENSEM, & MOGUNTINAM lustravit, & abso-
lutâ istâ per Germaniam peregrinatione GLESSAM per
Francofurtum redux fuit, per unum atq; alterum mensem
ibi substitit, habitâq; disputatione publicâ sub laudati Dn.
D. CHRISTIANI Præsidio, contra Pontificios, Moeno, Rhe-
noq; secundò lustratis iterūm Civitatibus illustrioribus, A-
cademiisq; celebrioribus, COLONIENSI, aliisq;, in Belgi-
um descendit. *Amstolodami* per aliquot menses substitit, miracula
urbis vidit, conversatione Dn. REIMERI LIGARII, Rever.
Mini-

WEIN

B

Mini-

vai' ηγ' ου affirmas 2. Cor. I. 18. Providentiæ divi-
næ (nisi quis eam negaverit & vel invitus sequatur Epicuri castra)
id repugnat asserti, ut, quæ homines ad res divinas cœ-
cos novit, credatur tam impie voluisse mortalibus illude-
re, ut in speciem posito errorum remedio feliciter miseris
imponere posset. Licet vero Deus non eo modo homi-
nibus obligetur, quo ipsi sibi invicem; cum tamen pactis
atque promissis ex sanctitate & justitia sua teneri, nemo
nisi Socinianus aut Arminianus negaverit: cum ergo
Deus voluntatem suam revelare promiserit; impius est, qui-
cunq; ipsum eo id fecisse affirmat, ut certo certius homines
à voluntate ejus aberrarent. Quin & misericordiæ divi-
næ adversatur, ut quod beneficium verbo suo concessit, si-
mulandi arte denuo miseris eripiat; quis eum ferat De-
um, qui, quod ex gratia benignissimè dedit, contraria ver-
bis suis expressis voluntate invitis quasi & simplici corde
credentibus id rursus extorquet? cum id & homini vitio
vertatur, si in humanitatis officiis aliud præ se ferat, aliud
animo destinet. Neque verò exemplum Abrahami Ge-
nes. XXII. isti sententiæ patrocinatur, quasi Deus aliud præ
se ferret, aliud animo destina-ret; non enim aliud Deus vo-
luit, quam quod ipso opere præstitum est, hoc vero non
consummata mactatio erat, nec solo affectu talis, sed in-
choata, unde τὸ προσενήνοχεν Apostolus Heb. XI. 17. dixit: Per
fidem obtulit Abraham Isaac, quum tentaretur, & unigeni-
tum obtulit, in quo promissiones acceperat: Ad quæ verba
Dn. D. Seb. Schmidius in Comment. p. 1229. *Obtulit: quod
de conatu & animo interpretantur communiter, non de ef-
fectu & externo opere. Bene quidem sed an sufficienter,
dubito. Vix namque credo Scripturam dicturam fuisse,
quod obtulerit, si nullam operi manum adhibuisset. Itaque*

B 2

puto

quentavit: à quibus in promotione *autumnali*, Decano Spe-
ctabili, DN. AUGUSTO BUCHNERO, Oratore per Orbem
literatum Celeberrimo, *summos in Philosophia honores*
inter XXX. Competitores quinto loco adeptus, mox sequen-
ti anno 1660. in numerum *Magistrorum docentium* rece-
ptus, ac sub Præsidio Dn. Hospitis, habità de *Gigantibus* Di-
sputatione, de *Accentuatione Ebraicâ* Præsidis munere pu-
blicè cum honore functus est, & Scholas varias, *Ebræas, Lo-
gicas, & Metaphysicas*, cum emolumento Juventutis Acade-
micæ instituit. Quo etiam anno FRANCOFURTUM ad
Oderam à Parentibus ad fratris LAURENTII Contuberni-
um evocatus, in *Facultatem Philosophicam* ibidem rece-
ptus, *docendo, disputando, concionando, non ex vulgi more,*
ut testimonium Anno 1661. M. Aprilis traditum, habet, *ta-
lem se præstitit, ut omnium favore dignus haberetur.* Nam
Disputationes habuit *ad Psal. CXXXIII. ad Apographen Au-
gusti, Luc. II. 1. 2. 3. de vita Romuli, de vita C. Julii Cesaris,*
de vita Justiniani, eruditas, quarum postremam natu ma-
jor frater, raro exemplo, Respondens in Auditorio Jure-
Consultorum, ex speciali concessione, defendit: & Lectio-
nibus *Philosophicis* ita inserviit, ut *Sereniss. Elector Brandenb.*
per *Generosum t. t. Cancellarium, DN. à Somniz/*
ipsi certis de causis *Decanatum Facultatis Philosophicæ* an-
no ætatis XXII, offerret, quod verò honoris genus modeste
recusavit.

Reversus *Wittebergam*, mox *Magdeburgum* ad Præ-
ceptorem olim charissimum, Dn. M. Cammerhofium di-
vertit, ibiq; *Reipubl. Consuli Primario, ac Physico-Mathe-
matico famigeratissimo, DN. OTTONI à Sveriqven/ejus-
que Filio, nunc Potentiss. Electoris Brandenb. Consiliario, ac*
apud Hamburgenses Residenti, adeò innotuit, ut familiaris
ter

rari atque exerceri, hæc Theologus consummatissimus. Neque vero Abraham Comicum egit, si non persuasit sibi, interfectum nunciari Isaacum, nec Deus tentandi sine excidit. Decebat enim fidei heroem sine murmuratione comitari Deum atque eventum experiri cumque nesciret consummendane mactatio, an inchoanda esset? Fidei suæ documentum satis firmum edebat, dum actus inchoabat, incertus an consummenda esset immolatio, ad quam properabat, etiam (si id Deus voluisset) filii morte facturus sacrificium, quum DEI Omnipotentiam & veritatem nosset ex Hebr. II. 19. Id vero Deus sapientissime prohibuit atque eo ipso Verborum suorum interpretes exitit. Reliqua exemplæ, quibus Deus simulationis aut dissimulationis arguitur, ob chartæ angustias, ad quas damnatur, explicare hic non concessum est; id tantum mirari satis non possumus quod parabolæ quoque in argumentum simulationis vel dissimulationis Dei obtorto collo rapiuntur; *Parabola est collatio expressa, qua res ignota atque sensibus remotior, per aliam notam familiarem seu gestam seu ut gestam quæ geri & contingere poterat explicatur.* ita B. Memor. Theologus acutiss. D. Dannhaw. Id. B. Interpret. Part. II. sect. I. Art. V. §. 21. p. 230. Quis quæso hanc simulationem dixerit, cum res ignota per notatiorem exponatur? non puto hanc mentem hæere ei, qui Rhetorices aut hermeneut: præcepta & regulas, si non sanctâ, perfunctoriâ tamen saltem opera perlustrarit. Sic nihil sani est in prolatis propositionibus. Quapropter, Cives Academici, paterne vos hortamur & ardenter rogatos volumus, ut hæc fugiatis novitates certo vobis admodum nocituras, si iis insistatis, formetis contra studia vestra ad normam diviniorum oraculorum τῶν ὑγιαίνόντων λόγων, quo fiet, ut non ipsi modo omnium piorum laudes impetretis, sed eorum etiam Docto-

dylois, surrogatus est, ac inter tot Ecclesiæ certamina, *Recto-*
ratui Gymnasii, nec non *Professione Theologica ac Philosophica*,
ca, legibus Gymnasii id poscentibus, integro *quinquennio*,
magnâ cum laude, & insigni cum utilitate juventutis, præ-
fuit.

Sed non relictus ibi est, quum ob famæ celebritatem,
suasit ac rogatu *Magnifici REGIMINIS SVEDICI CAN-*
CELLARII, Præ-Nobilissimi DN. à Sternbach, / *Professio-*
nem in Gymnasio Regio CAROLINO, ut tunc vocari cepit,
Philosophicam susciperet, unde initio Anni 1668. *SEDINUM*
abiit: ubi omninò *ob laudabilem docendi rationem, ac fa-*
ciilitatem, juventuti erat charissimus, nec parum commodi
Ecclesiæ Pomeranicæ præstitit, dum ad mandatum *Illustri-*
fimi DN. Comitis, ac Archistrategi, DN. WRANGELII, egre-
gii *Syncretistæ L.G. AMMONIS* falsa dogmata detexit, ap-
plaudentibus zelo *DN. CANDIDATI* laudabili, *Facultate*,
Theologica Lipsiensi, & Wittebergensi, nec non *Theologis plu-*
ribus aliis, quorum iudicia produxit.

Anno autem 1669. M. Augusto, postquam Professorio
munere per sesquiannum Sedinini functus est, ad Verbi Mi-
nisterium ad *D. JACOBI à Nobiliss. Senatu Sedinensi* cum
applausu Collegiorum omnium vocatus est. Quantum
verò in hâc functione, *obsidionum* præprimis tempore, la-
boris, & incommodi, omni Collegâ destitutus, sustinuerit,
illis ibi notum est, qui laborum tantorum æqui sunt æsti-
matores. Unde etiam Anno 1680. ab eodem Senatu *No-*
biliss. applaudente Ecclesiâ, *Pastor Nicolaitanus* vocatus.
In qua functione quam perpessus sit persequutionem, ob
preces novas, quas per conscientiam approbare non po-
tuit, quia ea satis nota est, nihil attinet hic dicere.

Cate-

Academiae praerant; à quo in numerum civium nostrorum receptus fuit. Quem locum studiis suis apprime idoneum per tres insedit annos & maximam illius temporis partem in perdiscendis litteris Philosophicis posuit. Inde in animum induxit migrare Lipsiam, cujus Academiae initiatus sacris Ao. 72. studiis more suo, id est, diligenter vacavit; An. 73. Magnifici Dn. D. Lehmanni subiit aedes & ejus quoque mensa usus est. Exacto ibi anni spatio lauream Magisterialem No- stro contulit collegii ibidē Philosophici Decanus; quam digno tributam habita ipso Praeside dissertatione Philo- sophica *de Unione mentis & corporis humani* proba- vit. Simul & saniozem Philosophiam privatos inter parietes docendo absolvit eamque aliis saepius repetita opera usque ad abitum inculcavit. Iis autem deditus studiis non omnino posthabuit Theologiam sacram, sed ita coluit & pertractavit, ut brevi sane insignes fece- rit progressus; quos ex disputat. Theologica sub praesidio Magnif. Dn. D. Georgii Lehmanni hospitis sui habita de *Potestate Ecclesiae* & à nostro concinnata abun- de colligas licet. Quo ipso famam eruditionis compa- ravit & summis Viris innotescere familiaris coepit; ita ut à summo & incomparabili Theologo, Scherzero nostro, τῶν νῦν ἐν αἰῶνι scriptum Theologicum contra Papas elaborandum acceperit, quod magno isti Do- ctori admodum placuit, ut in lucem divulgari suade- ret; quod Ao. 77. etiam prodit hoc quidem titulo. *Evangelische Glaubens Rechenschaft von den vornehmsten angefochtenen Glaubens-Artickeln der Evangelischen Kirche wieder alle von den Papisten eingewendete Scrupel erlautert.* Leipzig in 12mo. Quo edito libro magis magisque noster Dn. Candidatus innotuit & paulo post, eodem A. 77. adhuc sibi constante ad Archidiaconatum Torgensium Eccle-
sis

Ad quam audiendam **RECTOREM MAGNIFICUM,**
BARONEM ILLUSTRUM, Decanos & Seniores Spectabiles,
Viros Summè Reverendos, Consultissimos, Experientissimos,
Nobilissimos, Excellentissimos, Dominos Professores Faculta-
tum omnium Amplissimos, Adseffores item Facultatum, Of-
ficiarios publicos, Doctores & Licentiatos, Senatores item
Civitatis, Reverendos Verbi Ministros, Amplissimi Collegii
Philosophici Adjunctos, Nobilissimam deniq; & eruditissi-
mam Juvenum Academicorum coronam, Patronos, Collegas,
Fautores, & Amicos lectissimos, reverenter, amicè, officiosè,
ac fraternè, cum reciproco *τῆς ἀμοιβῆς* in præstandis simi-
libus, aliisq; gratis officiis, promisso, invito: Deum ado-
rans supplex, ut porrò Patriæ Patri, Potentiss. Saxonie Ele-
ctori **JOHANNI GEORGIO III.** & Augustæ Familiæ, Pro-
ceribus Aula Illustrissimis, Almæ Matri Academiæ, tempora
benigna, halcyonia grata, securitatem à bello & peste, studiis
necessariam, & incrementa quævis salutaria, cælitùs largiri,
studiisq; docentium & discipulorum ex alto benedicere digne-
tur, ut hosce & similes actus Academicos sub umbra ala-
rum Domini feliciter, & ex bono Ecclesiæ, & usu rei lite-
rariæ, ad æterni Numinis gloriam, celebrare possimus.
P. P. in Electorali Saxonica Universitate, sub *Sigillo*
Facultatis Theologicae, Dominicâ XIV. Trinitatis,
Anno Gratiaë Novissimæ clc lcc LXXXII.



